

C. PLINII CAECILII SECVNDI
PANEGYRICVS
NERVAE TRAIANO AVGVSTO DICTVS

I

In exordio ante omnia reddit rationem, cur initio deos precetur: quod hic mos sit a maioribus consuetudo tradita, quam nemini ait potius quam sibi esse observandum consuli.

1 Bene ac sapienter, patrēs cōscrip̄tī, māiōrēs īnstituērunt, ut rērum agendārum, ita dīcendī
2 initium ā precātiōnibus capere, quod nihil rīte, nihil prōvidenter hominēs sine deōrum
3 immortalīum ope, cōsiliō, honōre auspicārentur. Quī mōs cuī potius quam cōsulī, aut
4 quandō magis ūsurpandus colendusque est, quam cum imperiō senātūs, auctōritāte
5 reīpūblicae ad agendās optimō prīncipī grātiās excitāmur ? Quod enim praestābilius est
6 aut pulchrius mūnus deōrum quam castus et sānctus et dīis simillimus prīnceps ? Ac sī
adhūc dubium fuisset, forte cāsūque rēctōrēs terrīs, an aliquō nūmine darentur, prīncipem
tamen nostrum liquēret dīvīnitus cōstitutum. Nōn enim occultā potestāte fātōrum, sed ab
Iove ipsō cōram ac palam repertus, ēlēctus est : quippe inter ārās et altāria eōdemque locī,
quem deus ille tam manifestus ac praesēns quam caelum ac sīdera īnsēdit. Quō magis
aptum piūque est tē, Iuppiter optime, antea conditōrem, nunc cōservātōrem imperiī
nostrī, precārī, ut mihi dīgna cōsule, dīgna senātū, dīgna prīncipe contingat ōrātiō, utque
omnibus, quae dīcentur ā mē, libertās, fidēs, vērītās cōnstet, tantumque ā speciē
adulātiōnis absit grātiārum āctiō mea, quantum abest ā necessitāte.

LII

Ostendit tanto maiorem Traianum ceteris imperatoribus, quanto his esse modestiorem. Iovi optimo maximo gratias agit, cui tantum principem Romani debeant.

1 Hōrum ūnum sī praestitisset alius, illī iam dūdum radiātum caput et media inter deōs
2 sēdēs aurō stāret aut ebore, augustiōribusque ārīs et grandiōribus victimīs invocārētur. Tū
dēlūbra nōn nisi adōrātūrus intrās, tibi māximus honor excubāre prō templīs postibusque
praetexī. Sīc fit, ut dī tibi summum inter hominēs fastīgium servent, cum deōrum ipse
3 nōn appetās. Itaque tuam statuam in vestibulō Iovis optimī māximī ūnam alteramve et
hanc aeream cernimus. At paulō ante aditūs omnēs, omnēs gradūs tōtaque ārea hinc aurō,
hinc argentō relūcēbat, seu potius polluēbātur, cum incestī prīncipis statuīs permixta
4 deōrum simulācra sordērent. Ergō istae quidem aereae et paucae manent, manēbuntque
quam diū templum ipsum, illae autem aureae et innumerābilēs strāge et ruīnā pūblicō
gaudiō litāvērunt. Iuvābat illīdere solō superbissimōs vultūs, īnstāre ferrō, saevīre
5 secūribus, ut sī singulōs ictūs sanguis dolorque sequerētur. Nēmō tam temperāns gaudiī
sēraeque laetitiae, quā īnstar ultiōnis vidērētur cernere lacerōs artūs, truncāta membra,
postrēmō trucēs horrendāsque imāginēs obiectās excoctāsque flammīs, ut ex illō terrōre et
6 minīs in ūsum hominum ac voluptātēs īgnibus mūtārentur. Similī reverentiā, Caesar, nōn
apud genium tuum bonitātī tuae grātiās agī, sed apud nūmen Iovis optimī māximī pateris :
illī dēbere nōs, quidquid tibi dēbeāmus, illūs, quod bene faciās, mūneris esse, quī tē
7 dedit. Ante quidem ingentēs hostiārum gregēs per Capitōlinum iter, magnā suī parte velut
interceptī, dēvertere viā cōgēbantur, cum saevissimī dominī atrōcissima effigiēs tantō
victimārum cruōre colerētur, quantum ipse hūmānī sanguinis prōfundēbat.

LIII

Imperatoribus aliis cum Traiano collatis, multorum eius beneficiorum maxime laudat licentiam ab eo civibus datam malos principes priores ulciscendi hortandique posteros.

- 1 Omnia, patrēs cōscrip̄tī, quae dē aliīs p̄ncipibus ā mē aut dīcuntur, aut dicta sunt, eō pertinent, ut ostendam, quam longā cōsuētūdine corruptōs dēprāvātōsque mōrēs p̄ncipātūs parēns noster refōrmet, et corrigat. Aliōquī nihil nōn parum grātē sine
- 2 comparātiōne laudātur. Praetereā hoc p̄mum ergā optimum imperātōrem piōrum cīvium officium est : īsequī dissimilēs. Neque enim satis amārit bonōs p̄ncipēs, quī malōs satis
- 3 nōn ōderit. Adice, quod imperātōris nostrī nōn aliud amplius ac diffūsius meritum est,
- 4 quam quod īsectārī malōs p̄ncipēs tūtum est. An excidit dolōrī nostrō modo vindicātus Nerō ? Permitteret, crēdō, fāmam vītamque eius carpī, quī mortem ulciscēbātur, nec ut in
- 5 sē dicta interpretārētur, quae dē simillimō dicerentur. Quārē ergā tē, Caesar, mūneribus tuīs omnibus comparō, multīs antepōnō, quod licet nōbīs et in praeteritum dē malīs imperātōribus cotīdiē vindicārī et futūrōs sub exemplō praemonēre nūllum locum, nūllum esse tempus, quō fūnestōrum p̄ncipum mānēs ā posterōrum exsecrātiōnibus conquiēscent.
- 6 Quō cōstantius, patrēs cōscrip̄tī, et dolōrēs nostrōs et gaudia p̄ferāmus : laetēmur hīs, quibus fruimur, ingemiscāmus illīs, quae patiēbāmur. Simul utrumque faciendum est sub bonō p̄ncipe. Hoc sēcrēta nostra, hoc sermōnēs, hoc ipsae grātiārum āctiōnēs agant, meminerintque sīc māximē laudārī incolumem imperātōrem, sī priōrēs secus meritī reprehendantur. Nam cum dē malō p̄ncipe posterī tacent, manifestum est eadem facere praesentem.

XCIV

In peroratione deos imperii custodes compellat, in primis Iovem Capitolinum, quem orat pro aeternitate imperii et p̄ncipe praesenti, qui successorem eligat bonum.

- 1 In fīne ōrātiōnis praesidēs cūstōdēsque imperiī dīvōs ego cōsul p̄rō rēbus hūmānīs ac tē praecipuē, Capitōlīne Iuppiter, precor, ut beneficiīs tuīs faveās, tantisque mūneribus
- 2 addās perpetuitātem. Audistī, quae malō p̄ncipī precābāmur : exaudī, quae p̄rō dissimillimō optāmus. Nōn tē dīstringimus vōtīs ; nōn enim pācem, nōn concordiam, nōn sēcūritātem, nōn opēs ōrāmus, nōn honōrēs : simplex cūnctaque ista complexum ūnum
- 3 omnium vōtum est : salūs p̄ncipis. Nec vērō novam tibi iniungimus cūram. Tū enim iam tunc illum in tūtēlam recēpistī, cum praedōnis avidissimī faucibus ēripuistī ; neque enim sine auxiliō tuō, cum altissima quaeque quaterentur, hic, quī omnibus excelsior erat, inconcussus stetit : praeteritus est ā pessimō p̄ncipe, quī praeterīrī ab optimō nōn
- 4 poterat. Tū clāra iūdicīi tui sīgna mīsisistī, cum proficīscētī ad exercitum tuō nōmine, tuō honōre cessistī. Tū vōce imperātōris, quid sentīrēs, locūtus, filium illī, nōbīs parentem,
- 5 tibi pontificem māximū ēlēgistī. Quō māiōre fiduciā iisdem illīs vōtīs, quae ipse p̄rō sē nuncupārī iubet, ōrō et obtestor : ‘sī bene rempūblicam, sī ex ūtilitāte omnium regit’, p̄mum, ut illum nepōtibus nostrīs ac p̄nepōtibus servēs, deinde, ut quandōque successōrem eī tribuās, quem genuerit, quem fōrmāverit, similemque fēcerit adoptātō, aut, sī hoc fātō negātur, in cōsiliō sīs ēligentī, mōnstrēsque aliquem, quem adoptārī in Capitōliō deceat.

XCIV

Ad postremum senatores alloquitur, quibus obsequium et reverentiam pollicetur.

- 1 Vobis, patres conscripti, quantum debeam, publicis etiam monumentis continetur. Vos mihi in tribunatu quietis, in praetura modestiae, vos in istis etiam officiis, quae studiis nostris circa tuendos socios iniunxeratis, cum fidei tum constantiae antiquissimum
- 2 testimonium perhibuistis. Vos proximae destinacionem consulatus mei his acclamationibus approbavistis, ut intellegam etiam atque etiam enitendum mihi, ut hunc consensum vestrum complectar, et teneam, et in dies augeam. Etenim meminī tunc verissimē
- 3 iudicari, meruerit quis honorem necne, cum adeptus est. Vos modo favete huic proposito, et credite : si cursu quodam provector ab illo insidiosissimo principe, ante quam
- 4 profiteretur odium bonorum, postquam professus est, substiti ; cum vidērem, quae ad honores compendia patērent, longius iter maluī ; si malis temporibus inter maestos et paventes, bonis inter securos gaudentesque numeror ; si denique in tantum diligō
- 5 optimum principem, in quantum invisus pessimō fuī. Ego reverentiae vestrae sic semper inserviam, non ut me consulem et mox consularem, sed ut candidatum consulatus putem.